

MON
ca

25



Disseminationes hoc volumine contentae.

1. Cemeteria quae in multis hinc et inde libere tamquam
quas scripsit Petro Leopoldo. J. V. D. examinandas proposuit
Andr. Petrus Wolffrum. Regiomont. Franc. Jenae.
2. Juris aliquot emendata, quae scripsit Heinrico Docero. J. V. D.
pro Doctoralibus in Urroq; Juris in Urroq; J. V. D. publicis dis-
quisitioni subiecit Georgio Wolfgango Wilbornmanno, Neuv.
Cunro-Palatingo Tubingae.
3. Positiones Juris pro quas publice discutendas proposuit,
Christophory Freibisig J. V. D. Resp. Conrado Casp. Horvio.
Witteberg. Lipsiae.
4. Disputatio ad tit. 5. et 6. libri 2. J. V. D. quam scripsit Christophoro
Besoldo. J. V. D. discutendas proposuit Burkhardo Thinger.
Tubingae.
5. Disp. de Jure Natu scripsit Johanne Gyphandro J. V. D.
defensa a Georgio von Brung, Astenburg. Tuberae Fr. Jenae.
6. Disp. de necessaria defensione, scripsit Heinrico Docero, J. V. D. pro-
posita a Daniele Rantow. Tubingae.
7. Conclusiones de Jurisdictione, quas eodem scripsit Dobomilium
Urroq; iure insignium sequendum caa publicis censuras
subiecit Johannes Georgio Halbitter. ibid.
8. Assertiones legales de transactione quas scripsit Petro Theo-
dorio. J. V. D. pro gradu Doctoratus in Urroq; iure sequendo
discutendas proposuit M. Georgio dist. Lips. Jenae.
9. Disp. de transactionibus, scripsit Johanne Harrecho. J. V. D.
pro summo in Urroq; iure gradu sequendo publicis examini
submissa a Georgio Langro. ibid. Tubingae.

10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.



D. O. M.
DISPUTATIO
De
IURE MER-
CATVRÆ,

Proposita, quam

Consensu atq; permissu Magni-
fici Dn. Ordinarij Amplissimæq; Facultatis
Juridicę in inclyta Lipsiensium
Academia.

SUB PRÆSIDIO

CHRISTOPHORI PREIBISII

Sprottâ-Sil. J. U. D. Professoris publici & p. t. in-
clytæ Facultatis Philosophicæ Decani.

IN AUDITORIO Actorum

publicè tueri conabitur

ANDREAS Bernicé Coloniâ-Marchicus.

Initium fiet hora VII. matut.

ad diem 16. Aprilis.

L I P S I Æ,

TYPIS LAMBERGIANIS,

Excudit Johann Glück. ANNO 1618.

Reverendissimo, Illustri ac Generoso
Domino

Dn. WEDIGERO REIMARO Gans

L. Baroni à Pütltitz, & c. Ordinis Teutonici
S. Johannis Equiti ac Commendatori, Serenissimi ac Po-
tentissimi Electoris Brandenburgici Archimarschallo
hereditario, & Consiliario intimo, nec non Præsidi Schie-
velbeinensium Provinciali,

Domino meo Clementi,

NEC NON

*Magnificis, admodum Strenuis & No-
bilissimis Dominis*

Dn. BENNONI FRIDERICO Brandt

à Lindaw / Consiliario Electorali Saxoni-
co, Hereditario in Wiesenburg / & Rätchen Regas / & c.

Dn. JOHANNI GEORGIO à Ribbeck /

Consiliario Electorali Brandenburgico, &
Capitaneo Spandoviensi, Domino Hereditario in Blie-
nick / Dieratz & Wüstenfelde / & c.

*Dominis Mæcenatibus ac Promotoribus
meis observandissimis.*

Subjecto, humili & devoto

studio offero

M. Wernick / Aut. & Resp.

T H E S I S I.



T olim Solonem L. de Parricidiis non tulisse admirati sunt viri sapientes : Ita hodie quis Legislatores nostros nihil aut parum certè de Jure Mercaturæ constituisse non abs re miraretur.

II.

Verum quod tum sive probitate hominum, sive mercatorum raritate necessarium non visum, id nostrâ tempestate, quâ mercaturæ frequentissime, cum hominum pervertitate quasi certare videntur, non solum utilissimum, sed & summè necessarium esse, nemo non intelligit.

III.

Inpræsentiarum igitur quod propitiâ fiat Themide, quaestiones aliquot de Mercatura & Mercibus cognitæ non tam utiles, quàm necessarias pertractabimus.

IV.

Cum verò ex Consilio Ulpiani. *L. è re est. i. ff. si cert. petet.* quod repetunt & inculcant, *Neviz. syl. nupt. lib. 1. n. 170. Cagnol. ad l. omnis definitio n. 10. ff. de R. J. Dominus Pruckman de Regal. c. 1. n. 6.* è re sit, antequam ad tractationem ipsam perveniatur, pauca de ipsius tituli significatione referre : Igitur & nos prius quam ulterius progrediamur, dabimus originationem nominis, nec non realem ejus, qua de re tractaturi sumus, Mercaturæ sc. definitionem.

V.

Si igitur doctissimo Latinorum, uti merito suo laudatur à M. Tullio, Varroni credimus, Mercatura dicitur à mercando, hoc vero à merendo ære, ob quod scilicet unicū

*Impiger extremos curru Mercator ad Indos
ut habet suavissimus Venusinus.*

A 2

Merca-

VI. H. T.

Mercaturam sic dictam, Plato in Dialogo de Ente facit duplicem: Propriam aliam, aliam impropriam.

VII.

Hanc dicit, quæ animi disciplinas nummis commutat? quam tamen in totum rejicimus: neq; n. scientiæ propriè vendi possunt, cum pretio nummario minimè sint æstimandæ. *L. Praeses Provincia. 1. ff. de extraord. cognit.* Neq; ideò venales dicendæ sunt artes, quod Preceptoribus pro labore & industrià dari aliquid soleat, cum hoc non merces sit, sed remuneratio. *L. Aquilius 27. de donationibus. L. qui filium. 4. ff. ubi pupillus educari debeat.*

VIII.

Illam nominat, quæ ad corporis victum spectat; de qua, improprià Philisophis relictâ, nobis jam negotium.

VIII.

Hujus damus talem definitionem, quod nimirum sit ars, seu potius Negotiatio, quæ cum publicè necessitati subveniendi, tum honesti lucri faciendi causa, in mercibus licitis frequenter permutandis & emendis, iisdemq; nec mutata per se forma, nec minutatim distrahendis exercetur.

X.

Cujus definitionis membra singula, sed strictim videamus: Genus mercaturæ facimus artem, seu negociationem strictè sic dictam, cum illa non minus sit ac reliquæ artes, habitus cum rectâ ratione effectivus, quo facit *c. forus. §. Negotium. extr. de V. S. & c. quoniam 88. dist. L. Romane gentes fin. C. de Eunuchis L. fin. C. de pignor. L. Hujus quoq; 1. §. licet de trib. act. L. Athletas. 4. §. ait prator. 3. de his qui not. infam. Diss. Bart. in L. Legatis. de Legat. 3. qui negociari & mercarè pro synonymis ponit & Frid. de Senis Consil. 207.*

Ejus

XI.

Ejus causa Efficiens est hominum industria, & labor
continuus seu frequens.

XII.

Subjectum sunt personæ, quæ hanc negotiandi artem
exercere possunt.

XIII.

Non possunt, omnes, qui merces emere, & vendere,
seu permutare & contrahere prohibentur.

XIIII.

Isthæc prohibitio fit vel à naturâ, vel à lege

XV.

Natura prohibet Furiosum. *L. obligationes. 1. §. furio-
sum, 12. de O. & A. L. qui ad certum tempus, 14. ff. de locat.
Dementem, & illum cui bonis est interdictum, L. Ful-
cinius. 7. §. adeo 19. in fin. ff. quibus ex causis in poss eat. §. nunc
admonendi. 3. Instit. quibus alien. vel non. Mente captum.
§. prætere a. 2. vers. furiosi. ubi Gloss Inst. quibus test. fac. non
est per m. L. cum furiosus. 7. C. de Cur. furios. L. observare. 6. ff.
eod. Fatuum. L. ob qua vitia. 4. §. 1. Sed si vitium ff. de Edi-
litio Edict. Dec. in cons. 87. n. 7. Nicol. Boer. decis. 23.
Lunaticum. L. bonem. 43. §. aliquando. 6. ff. de edil. edict.
Deniq; omnes, qui furioso sunt similes, Strach. tr. de Mer-
cat. p. 3. n. 23.*

XVI.

Lex Clericum, c. canonum. 14. q. 4. Hinc D. Hieron. dixit:
Negotiatorem Clericum ceu pestem fuge. Strach. d. tr. de
merc. q. 3. n. 4. & seqq. 2. Armate militie militem. L. un. C.
Negotiatore, ne milit. lib. 12. L. milites qui. 15. C. de re milit. eod.
lib. 3. Nobiles & patrimonio ditiores. L. Nobiliores. 3. C. de
commerc. & mer. nisi loci alicujus situs, regionisq; conditio

A 3

& mos



& mos eam suadeat: & per alium exerceatur; & statuto
cautum sit, ut apud Venetos, Genuenses, Florentinos &
alios, ne mercaturam exercentes nobiles, ignobiles fiant,
tunc aliud statuendum est. 4. Palatinos & proceres Pa-
latij. *L. vestium, fin. cum gloss. C. de resc. vend.* 5. Provin-
cias regentem, & qui circa eos victitant. *L. principalib. 33.*
ff. si cert. pet. L. non licet. 46. l. qui officij. 62. ff. de contrab. empt.
L. quisquis. 16. ubi Dd. C. si cert. pet. & Bart. in L. aufertur §. quod
à Preside. ff. de Jur. fisci.

XVII.

Quid de foeminis statuendum? Et eas mercaturam fa-
cere non vetari verius. *L. pediculis 32. §. item cum quaereretur.*
4. ff. de aur. & arg. legat. in illis verb. cum testatrix aut nego-
ciatrix fuerit, & l. sed et si quis 7. ff. de inst. act.

XVIII.

Objectum Mercaturæ sunt merces.

XIX.

Merces autem sunt res mobiles emi vendiq; non pro-
hibitæ, negociandi nundinandiq; causa comparatæ. *Goedd.*
ad l. 66. de V. S. n. 4.

XX.

Res dixi mobiles, nam neq; res immobiles, neq; se mo-
ventes mercis appellatione veniunt. *L. Mercis. 66. ff. de V. S.*
L. si Merx. fin. ff. de condit. tritic. Cujac. ad D. L. 66.

XXI.

Deinde requiritur, ut res mobilis etiam licitè vendi
emique possit. Omnis verò res vendi emiq; specialiter
non prohibita licitè venit in commercium.

XXII.

Prohibitæ verò sunt: 1. Res sacræ & publicæ quæ in
commercio non sunt, unde in mercaturam nisi causa justa
subsit, venire non possunt.

L. inter

*L. inter stipulantem 83. Et Sacram. 5. ff. de V. O. L. usucapio-
nem 9. ff. de usucap. §. nullius 8. Inst. de R. Div. Bald. in l. 3. n. 6.
C. de Jur. dot.*

XXIII.

Deinde prohibita sunt vinum, oleum, liquamina,
quatenus scilicet ad hostes deferuntur. *L. ad Barbaricum. 1.
C. quæ res export. non debeant.*

XXIV.

Quod ampliandum etiam de aridis: Nam & sales &
frumentum ad hostes deferenda non sunt. *L. cotem. ff. de
publ. Gloss. in l. unic. C. de itin. Et litt. custod. Nicol. Boër. q.
178. n. 11.*

XXV.

Arma quoque ad hostes transferre capitali supplicio di-
gnum æstimarunt Imp. perniciosum enim est, & prodito-
ri proximum, Barbaros quos indigere convenit, telis, ut va-
lidiore reddantur, instruere. *L. nemo alienigenis. 2. C. quæ res
export.*

XXVI.

Porro quod addidimus in definitione: negociandi
nundinandi que causa comparate: id adeo verum est, ut si
merces in aliam formam à mercatore permutentur, mer-
eis appellationem amittant. *c. 11. dist. 88. Jason. in L. cetera
§. sed et si. de L. Strach. de Mercat. p. 1. n. 23.* Quod si tamen per
alium merces elaborandas curat Mercator, non pro artifi-
ce, sed pro Mercatore habendus. *Strach. 6. n. 26.*

XXVII.

Quod cum igitur mercium appellatione, res tantum
mobiles comprehendantur queritur: An Merces nego-
ciatricis uxoris, defuncta illa ab intestato ad maritum de-
volvantur? Et Responderetur quod sic.

XXVII.

Licet enim Jure communi peculiariter de Mobilibus
olim nihil rescriptum inveniatur, tamen Jure nostro sta-
tutario

utario Saxonico, alterutro conjugum defuncto, omnia
ejus bona mobilia ad superstitem maritum devolvuntur.

*Land Recht lib. 1. art. 31. & 1. 3. art. 76. Coler. tr. execut. p. 1.
c. 3. n. 230. Heig. q. 15. n. 2, Rauchbar q. 17. p. 2. n. 2. Dom. Köp-
pen. decis. 31.*

XXIX.

Dubium itaq; nullum est etiam Merces ad instar relia-
quorum mobiliū ex singulari statuti & consuetudinis di-
spositione ad maritum & contra pertinere.

XXX.

Quod aded verum est, ut etiam nomina contracta ex
mercibus hoc Jure ad eundem sint transmittenda. *Juxta
Schneidvv. Instit. de Interd. §. retinenda, de Interdict. uti pos-
sidentis, n. 11.*

XXXI.

Licet enim aliàs Jure communi nomina inter immo-
bilia referantur.

*L. si chorvs 79. §. 1. His verbis de Legat. 3. Tiraq. retrahet.
lignag. §. 1. glos. 7. n. 6.*

XXXII.

Tamen id tum demum obtinet, si nomina ex re im-
mobili oriantur; secus si ex re mobili. Nam tunc naturam
quoq; & qualitatem rei mobilis induunt. *Tiraq. d. l.*

XXXIII.

Surrogatum enim naturam sapit surrogati.

*L. Filia sua. 28. §. Attia uxor mea. 1. de condit. & demonstr.
L. si cum judicio. 10. §. 2. Si quis caut. Schurff. consil. 98. n. 18.
cent. 3. Cotbman resp. 14. n. 46. Dominus Köppen decis. 6. n. 12.
per vulgat.*

XXXIV.

Quia verò Jure Saxonum consuetudinario hæc ita ob-
tinent, non incommodè hîc queri potest. An idem Jus
proce-

procedat in mercibus extra territorium Saxonum positis?
quod itidem affirmatur.

XXXV.

Etsi enim Jura statutaria ad bona extra territorium
fita non extendantur. *L. extra territorium fin. de Jurisd. om.
Jud. Schurff. cons. 6. c. 1. n. 1. Gail. lib. 2. obser. 124. n. 9. Myns.
cent. 5. obser. 19. n. 1. Dn. Köppen. decis. 31. n. 9.*

XXXVI.

Tamen id intelligendum de bonis immobilibus, aut
mobilibus quidem, sed iis demum, quæ perpetui usus cau-
sa in alieno obtinentur territorio. *L. pradiis instructis 1. C.
de V. S. Hartm. Pistoris cons. 14. n. 53. Rauchb. p. 1. q. 17. n. 11.
& 12.*

XXXVII.

Non de iis, quæ brevi tempore ibi permansuræ. *L. ux-
xori usumfructum 32. §. 2. ff. de usu & usufr. legat. L. pediculis
32. §. 4. de aur. & arg. legat. Propter celerem n. transitum
non videntur ibi esse. Schurff. consil. 6. cent. 1. n. 5. Sed perso-
næ & hereditati coherent. Rauchb. q. 17. n. 12.*

XXXVIII.

Quapropter non negamus etiam merces in tabernam
conductam illatas tacitè pro pensione locatori esse obliga-
tas, quod etiam tenuit. *Schurff. d. consil. 6. n. 7. & Angel. de
Aret. in §. Serviana. Inst. de Action. Treutl. vol. 2. disp. 1. tb. 4.
lit. b.*

XXXIX.

Porrò cum propter celerem motum merces in loco
ubi tamen revera sunt, non videantur esse, non ineptè que-
ritur de competente illarum foro; quæ distinctione deter-
minanda quæstio est.

XL.

Aut enim venditor confestim profecturus est, puta

B

si sit

si sit in transitu, veluti nauta aut viator, tunc quia durum est tot locis, per quos navigans aut transiens defertur, se defendere, domicilium ipsius sequimur: Aut consistit in tabernâ vel armario conducto, & tunc eo in loco in quo merces distractæ, se defendere tenetur venditor. *L. Heres absens 19. §. proinde etsi 2. de Jud. c. 3. de foro competent. Socinus Regul. 203.*

XLI.

Pari ratione non minus controvertitur: An in mercibus ultra dimidium justii pretii distractis beneficium. *L. 2. C. de rescind. vendit.* Locum inveniat? Et iterum distinctionis limam respondendo adhibemus. Aut n. merces minoris sunt estimii, & tunc non competit beneficium *d. l. 2.* Aut sunt preciosiores & competit. *Carol. Molin. Conf. Paris. tit. 1. §. 33. n. 47.*

XLII.

Licet n. ad res tam immobiles, quam mobiles, tum propter equitatem, quâ Lex ista innititur, tum propter generalitatem rescripti, beneficium *d. L.* sese extendere manifesti Juris sit. *Pinell. d. L. 2. p. 2. c. 2. n. 17. Anton. Robert. l. 2. animadv. c. 12.*

XLIII.

Non tamen continuò rem bonâ fide venditam, propter minimam aliquam causam, inemptam fieri oportet. *L. res bonâ fide 54. de contra empt.* Nec Prætor propter minimam rem restitutionem petentem audire solet. *L. scio illud. 4. de rest. in integr. L. id est. 10. in fin. ff. de dolo conjunct. pr. L. seq.*

XLIV.

Illud quoq; quæsitum est: An ex mercibus debeantur Gabelle? Et quamvis Negativam olim defenderit *Alciatus Conf. 263. & Alba. conf. 38.* Contrarium tamen verius esse
vide

videtur, & ita consulendo tenuit, *Menoch. l. 1. conf. 9. argu-
mento L. Filij libertorum 22. S. fin. ff. ad Municip. L. forma cen-
suali L. 4. ff. de censit.*

XLV.

Et est evidens ratio, quod Collectarum onus respicit
fructus & redditus, ut scilicet is solvat, qui recipit fructus
& redditus, *L. omnes pro his agris fin. C. sine censu. Curt. Jun.
Consil. 42. n. 1. Cravett. conf. 217.*

XLVI.

Mercatores autem redditus & fructus egregios ex merci-
bus nemo ignorat percipere, ut multi sunt & populi & pri-
vati, qui ob studium atq; operam, quam dederunt merca-
ture, summum honorem & laudem consecuti, & è priva-
tis primò Nobiles, deinde comites effecti, *ut est in praloquio
decis. Rota Genu. de Mercatur.*

XLVII.

Et hoc indifferenter procedere dubium non est, sive
sit Laicus, sive sit Clèricus, qui Mercaturam exercet, *Strac-
cha, de Mercat. p. 3. n. 4.*

XLVIII.

Cum n. negotiator Clericus tollerandus non sit, ut su-
pra monuimus, sed seu pestis fugienda, *c. 9. dist. 88. propte-
rea quod Ecclesiasticus negotiari non debeat, c. 10. ead. dist.
Sed orationi & prædicationi tantum modo vacare, c. 6.
dist. 88.*

XLIX.

Dubium non est, Clericum contra statutum & præ-
scriptum Cleri sese secularibus immiscentem, immunita-
tem quoq; Clericorum amittere, quod etiam in DD. & re-
liquis privilegiatis obtinere tenuit, *Coler, process. execut. p.
2. c. 3. n. 165.*

L.

Utile quoq; est & conductibile Mercatoribus Gabel-
las pro

las pro Mercibus solvere Magistratui. Hoc n. vinculo Magistratum sibi obstringunt ad reparationem damni ex spolio.

LI.

Si n. Dominus territorii Jure communi, *L. praeses provinciae 3 ff. de off. praes. L. saluberrima 1. C. de litt. & itin. cust. lib. 12.* etiam sine pensatione, *Bart. in L. metum. §. sed licet ff. q. met. causa* securitatem viantibus praestare olim tenebatur: omnibus sanè modis hodie vel ob Gabellarum praestationem ad eandem praestandam obligantur Domini cum duo vincula plus ligent quam simplex. *Auth. itaq. communi. C. de success.*

LII.

In tantum ut & dispoliatis mercatoribus teneantur ad reparationem damni, *Caepoll. de servitut. rust. prad. c. 4. n. 91. Clarus. L. 5. sent. §. fin. q. 82. Guid. Papa Cons. 413. n. 2. Gram. Cons. 150. n. 5.*

LIII.

Nec tantum in terrestri commigratione, sed etiam navasi expeditione hoc obtinere rectè consentaneum est rationi, *Caepoll. d. L.*

LIV.

Cùm n. non tantum egregios ex portoriis recipiant redditus: verum etiam ex littoribus, lapillis, piscationibus uberrima sentiant commoda, maritimorum locorum Domini: æquum est ut etiam securitatis sentiant onus. *L. secundum naturam 10. de R. J. c. 55. in 6. eod.*

LV.

Illud tamen observandum est, ne ipsi viatores damni sui existant fabri. Cum sit Juris indubitati: eum qui causam damni dat, censerì ipsum damnum dedisse. *L. qui occidit 30. §. in hac quoq. 3. ad L. Aquiliam.* Et ideo sibi imputare debet.

bet. c. qui damnatum de R. J. in 6. Gödd. cons. 103. n. 33. Gram. decis.
71. n. 10.

LVI.

Unde jam quæritur : An Merces tempestate in mari
coortâ levandæ navis ergò ejectæ pro derelictis habendæ,
& Respondetur juxta S. fin. inst. de Rer. div. & acquir. ipsarum
ubi Schneidevv. Diss. D. Köppen decis. 9. n. 10.

LVII.

Ulterius cum magna hominum hodiè sit perversitas,
partim non expensa asserentium, partim accepta abnegan-
tium, non parum dubitationis habet quæstio illa, quâ quæ-
ritur : An libri Mercatorum pro ipso probent mercatore?

LVIII.

Et concludunt communiter DD. si Mercator bonæ
existimationis sit, liberq; rationum inculpabilis, quod tū c
liber iste pro Mercatore super rebus istius mercantiæ semi-
plene probet. Gail. observ. 20. n. 2. p. 2. D. Köppen. decis. 46. n. 55.

LIX.

Quod si tamen consuetudine receptum sit, ut libris
Mercatorum plena etiam deferatur probatio, illa omnino
observanda est, modo Mercator sit honestæ existimationis,
nec ex libris fraudulenta falsimonia elici possit. Gail. d. l.
n. 7. & D. Köppen. d. decis. 46. n. 57. per Jura ibi allegata.

LX.

Secus tamen se res habet, si vel persona vel libri Merca-
toris suspecti sint. Tunc n. non obstante illa consuetudi-
ne, in puncto probationis libri isti admittendi non sunt.
Jason. in L. 31. col. 48. n. 123. Decis. Genuæ. de Mercat. decis. 2. n. 32.

LXI.

Quoad autem personam Mercatoris, rejectio libri il-
lius non procedit, nisi manifestò falsi aliàs convicta fuerit.
Aliàs n. vulgata Juris Regula obtinet : Quemlibet præsu-

mi bonum, donec probetur contrarium *c. dudum, ext. de R. I. Alciat. Reg. presumps. 3. pres. 2.*

LXII.

Si tamen semel falsi convictus fuerit, tunc currit præsumtio contra illum. Qui n. semel malus semper præsumitur. *c. semel malus, de R. I. in 6. L. 10. §. 5. ff. de quest. Alciat. d. presumpt. 2.*

LXIII.

Libri quoq; debita mercantiæ continentis variis modis suspecti redduntur: primò n. nisi dies certus cuiusq; debiti in specie appositus sit, illorum fide sola non status, cum communis rationi omni sit diei & consulis præpositio. *L. 6. si quis ex argentariis §. si initium, 6. ff. de Edendo, Bald. cons. 282. vol. 5. n. 14. Strach. part. 2. n. 55.*

LXIV.

Nemo n. ignorat omissionem formæ totum evertere actum. *Tiraq. de ret. p. 1. §. 1. glos. 11. n. 9. Borchol. de pact. c. 5. n. 26. D. Prugkm. vol. 1. Cons. 2. n. 388.*

LXV.

Deinde ut liber rationum legitimè confectus esse dicatur, requiritur, ut omnia ordine in illo expensa & accepta sint relata. Puta per quem acceperit, & ob quam causam, cui itidem expensum sit, aut datum, & quæ species data. *L. cum servus 82. circ. med. ff. de condit. & demonstr. L. neminem susceptionis. 4. C. de susceptor. lib. 10. Bart. L. 2. C. de Navicul. Strach. p. 2. n. 56.*

LXVI.

Tertio ad legitimationem libri requiritur, ut sit scriptus in Codice, non in charta adversaria, aut diurnis. *Bald. vol. 3. cons. 152. Strach. d. part. 2. n. 59.*

LXVII.

Quartò requiritur: ut rationes Codicis bonam fidem contineant, non repugnantia, aut non verisimilia. *Strach. d. p. 2. n. 63. per doctrinam Jason, in cons. 4. vol. 3.*

Repu

LXVIII.

Repugnantia n. qui petit, audiendus non est. *arg. L. ubi pugnancia. 188. de R. J. & L. Titia 100. ff. de cond. ut demonst. ubi Bart. Dom. Pruckm. consil. 47. n. 137. vol. 1.*

LXIX.

Deniq; requiritur, ut careat ejusmodi Codex omni cancellatione & superinductione. *Strach. n. 63. Bald. cons. 382. n. 14. vol. 5. & est tex. singularis, in c. inter. de fide instr. & facit. L. qua in testamento 1. de his qua in testamento delentur.*

LXX.

Sibi n. imputare debet, quod diligentiam, quam natura actus requirit. *Jason. cons. 4. vol. 3. Menoch. cons. 406. n. 118. D. Pruckm. cons. 4. c. 11. vol. 1. non adhibuerit.*

LXXI.

Et ut tandem littus legamus, illud quoq; videndum est, quomodo Mercatura finiatur. Et duplici modo id præcipuè fieri notant. DD. Morte & interdico, Huc n. & illud pertinet Mors omnia solvit.

LXXII.

Deinde pœnæ quoq; nomine Mercatori negotiationibus interdici solet. *L. Moris est. 9. §. sunt a. & alia. 10. ff. de pœn. Strach. p. 3. Obviam n. eundum est avaritiæ Mercatorum. L. annonam. 6. ff. de extraord. crimin. & expedit Reipubl. malis hominibus carere civitates. L. preses provincia 3. & l. congruit. 13. ff. de off. presid.*

Ad

*Ad Prestantissimum Virum Dn. ANDREAM Wernicf/
de Mercatura disputantem.*

TE mihi, meq; tibi nomen par aptat habendo,
ANDREAS Wernicf dicimur ambo simul,
Atq; ita nominibus, quo cæco, nescio, fato,
Sed non omnibus dicimur esse pares,
Nam quoties Te adeo, tua factaq; pondero mecum,
Tunc videor Cynos anser adire bonos.
ANDREAS Wernicf meritò hinc miratur & effert
ANDREAM Wernicf/ dignus ut ille sat est;
De Mercatura docto dum disputat ore,
Quæ thesis à paucis enucleata fuit,
Interea Nomen cum par nos æquet & ætas,
Et nobis animi sint in amore pares.

scribebat,
M. ANDREAS Wernicf/ SS. Theol. Stud.

Ad Eund.

GREGORIUS KLEPPISIUS Poëta Laur. Cas.

Qualis erat quondam visus Vir Hæctor in armis,
Talis & in Themidos visus es esse tholo,
Wernici; tua Mens Themidos dum disputat ore
De Mercaturis, in patulâ Æde Patrum.
Vidi confictus; claros & inaudit auris,
Armorum strepitus; & Clypei gemitus.
Dextris Hæctoreis avertere fortiter ictus
Tu sine clade potes; tu sine cade potes.
Brachia sunt clypeata tibi: galeatq; frons est;
Est hastata manus; est pharetrata manus.
In te falsa nihil valuit sententia; quamvis
Ferreâ visa; tamen robore fracta jacet.
Sint alij Heroes Martis; tibi Martis & Artis
Heroes inter est locus, immò thronus.

DE MERCATURA qui culto differis ore
Merx Tibi WERNICI maxima surgit; HONOS.
*habitâ spatij ratione Domino suo Commensali & Amico
exoptatis. adjiciebat*

M. P E T R U S Kirchbach:

Par
tho
ran
eda
an
ubi
um
emp
etor
vllz
cunt
h
t

venio metallico in fundo feudali repte, cum ptineant
ad omni feud: directum, an v. ad vasallum. disp. 2. 13.
Hancum nomine an socio commodum fuis Regalis p. 11. 13.
th. 14.
v. f. m. s. n. an i. f. m. g. r. a. n. e. o. c. e. t. r. e. p. o. s. s. i. s. d. i. s. p.
3. coroll. 4.


01 A 6525

ULB Halle 3
002 935 813


R


1007





Die
Juni





D. O. M.
DISPUTATIO
De
**IURE MER-
CATVRÆ,**
Proposita, quam
Consensu atq; permisso Magni-
fici Dn. Ordinarij Amplissimæq; Facultatis
Juridicę in inclyta Lipsiensium
Academia.
SUB PRÆSIDIO
CHRISTOPHORI PREIBISII
Sprottâ-Sil. J. U. D. Professoris publici & p. t. in-
clytæ Facultatis Philosophicæ Decani,
IN AUDITORIO Jctorum
publicè tueri conabitur
ANDREAS Bernicé Coloniâ-Marchicus,
Initium fiet hora VII. matut.
ad diem 16. Aprilis.

L I P S I Æ,
TYPIS LAMBERGIANIS,
Excudit Johann Glück. ANNO 1618.

